



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola IX. Ioannis Papae VIII. Ad Landvlfvm Episcopvm Capvanvm.

Nuntiat legatos ad imperatorem rediisse, quem in episcoporum & optimatum Conuentu Romanae ecclesiae iura recognouisse, praecipue vero ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

## EPISTOLA IX.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD LANDVLFVM EPISCOPVM CAPVANVM.

Nuntiat legatos ad imperatorem rediisse , quem in episcoporum & optimatum Conuentu Romanæ ecclesiæ iura recognouisse , præcipue vero terræ Capuanæ patetum suo iuri commisissse scribit : ideo in eius partes se venturum promittit.

*Ioannes episcopus Landulfo episcopo Capuano.*

**S**ANCTA Romana ecclesia , cuius Deo auctore præsidemus regimini , cunctis ab exordio sibi fideliter seruientibus dignam in præsenti & in futuro sæculo solita est bonæ retributionis mercedem rependere ; tibi nihilo minus reliquaque fidelibus suis vtroque modo , ob vestræ fidelitatis deuotionem , quam illic positi plene cognouimus , per omnia maternis visceribus fauebit in proximo . Siquidem nosse volumus tuæ religionis intentionem : quoniam , Domino cooperante , Leone venerabili episcopo nepote nostro , ac sanctæ ecclesiæ Romanæ eximio apocrisiario , aliisque nostris legatis , quos nuper direxeramus , a carissimo filio nostro Carolo imperatore Augusto reuersis , vobis , vtpote a secreto consiliariis nostris , ratum ducimus animi eius , Deo inspirante , circa ecclesiarum præsertim Romanæ , quæ caput est omnium , exaltationem , affectum patefacere ; omne sane ius potestatis antiquitus attributum capitulariter renouans in Conuentu episcoporum ac optimatum , inuiolabiliter concessit habendum . Inter quæ de terræ vestræ pacta , prout Christo duce voluissimus , statuere , nostro iuri potestatique commisit ; quatenus id quod pontificali ore nudis verbis diximus , operum ostendamus patratione , & vt pro animæ vestræ exhilaratione patrum notarice stylus scribentis loquatur , Parate hospitium , quia cum nouo hospitum agmine Dei gratia in vestras partes sumus venturi . Frenum coercitionis infidelibus , quantum valetis , imponite , fidelibus quoque futuræ in proximum spei subleuationem promittite : Domini Dei nostri sine intermissione

Huius Con-  
cili & lega-  
torum me-  
minit Al-  
moinus lib.  
5. de geltis  
Franc. c. 33.

B iiij

hortor misericordiam deprecamini, nostrumque aduentum spectate veraciter.

## EPISTOLA X.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD ADALARDVM EPISCOPVM VERONENSEM.

Commendat eum ob præclaras virtutes, & iubet  
vt Romam ad Concilium veniat.

*Ioannes episcopus Adalardo episcopo Veronensi.*

*Rom. 5.* **A**DVERTIT plane prudentia tua, quanto & quali circa se apostolatus noster flagret affectu, cum tuæ causa prouectionis non modicum sumpserimus laborem, idoneum te Christi sacerdotem merito arbitrantes futurum, & spiritualem potius quam sæculi gloriam sectaturum, cum & ipsa nimirum nobilitatis tuæ insignia, & sapientiæ specula, talia de te speranda tribuerent: quod quia vindicare sibi virtutum nisibus & probitate morum sanctitatem tuam comperimus, Deo innumeratas gratias valde gratalanter retulimus, & in hoc, quia secundum Apostolum *Spes non confundit*, experimenta didicimus: & ideo in proximo, causa ecclesiasticæ simul & imperialis opportunitatis, certorum congregaturi episcoporum Concilium, dilectionem tuam tanto Conuentui iubemus adesse. Accinge igitur sicut vir lumbos tuos, & assume tibi pennas sicut columba, & vola, & veni, & requiesce in sinu apostolicæ dilectionis, ita ut pridie Kalendas Decembris presentiam tuam liminibus apostolicis & nostris exhibeas prorsus obtutibus. Porro si hoc impossibile afferis, v IIII. Kalendarum Ianuariarum: quod hortamur & iubemus expleri, si dumtaxat ab apostolicæ sedis communione renuis prorsus arceri: dignum enim non est, ut tantæ sapientiæ vir tanto procul Cœtui sit. Optamus sanctitatem tuam in Christo bene valere. Data iv. Nonas Nouembris, in dictione decima.